

17

CURA
SUI INCURIA
IN GEMINIS TUTELARIBUS MEDICIS
fortissimis CHRISTI Martyribus
Divis

COSMA & DAMIANO
Oratione penegyrica celebrata

In Theinenſi Basilica B. V. Marie Sacra coram
SENATU POPULOQUE ACADEMICO
Sub Rectoratu

Perillustris, Magnifici, Generosi, Clarissimi, & Excellentissimi Viri
D. JOANNIS FRANCISCI Lövv, S. R. J. Provinciar: Hæred: Equitis ab Erlfeldt Phil: J.U. & Med: Doct: ejusdémque Praeoxos Primarij Professoris Regij, Publici, ac Ordinarij, Sacr: Cæf: Reg: Majest: Confiliarij Sac: Lateri, Palati, Aulæq: Cæsareæ, ac Imperialis Comitis, Inlyta Fac: Medicæ Senioris, nec non Cæsareæ Reg: Universi;

Carolo-Ferdin: Prageusis p.t.

RECTORIS MAGNIFICI.

Sub Decanatu

Prenobilio, Generosi, Spectabilis, & Excellentis. Viri

D. IOANNIS CASPARI IGNATII VOIGT, Philos: & Med: Doct: ejusdémque in Alma, Cæsarea, Reg: Universi; Carolo-Ferdin: Pragensi Medicinæ Institutionum Profes: Regij, Publ: ac Ord: S. Aulæ Lateran: & Palat: Apostol: Comiti, nec non Aurata Militiæ Equitis, Facultatis Medicæ p.t.

S P E C T A B I L I S D E C A N I .

ANobili & Doctissimo Domino DANIELE FERDINANDO JOSEPHO Staudigel Boëmo Comotoviensi A.A.LL. & Phil: Magistro, Med. Studioſo.

Anno M. DCCIII. Mensē Decembri, Die 3¹

PRAGÆ, Typis Georgij Labau.

DIVIS MEDICINÆ TUTELARIBUS
SANCTIS

Pro Christo & fide Christiano-Catholica Martyribus

GEMELLIS MEDICIS

Pro Salute corporum & Animarum
fortissimis Athletis.

COSMÆ
ET
DAMIANO,

Dedicatum, Sacratum.



IHS

SANCTISSIMI GEMELLI

Medici Angelici, Angeli in carne illibati, fortissimi in constantia pro Christo, & fide vera Martyres veri
Divi COSMA & DAMIANE, Patroni Facultatis
Medicæ T utelares.




Tiam suo, Oratori imbecilli, opus est Medico, sae Orationi infirme pharmaco.
Erubescerem sanè ego, politiori defititus eloquentiâ, & plus inter Medicinae dogmata Hippocrati, quâm inter Eloquentiae precepta Tullio deferens celebrandis Martyribus tentare panegyrim, nisi in Vos pariter

Medicos inciderem , Divi Tutelares, Cosma & Damiane.
Vobis infirmitatem detegere , si non pars , principium cer-
tò est sanitatis. Incedat ergo suis non satis articulis nexa,
suis non satis ornata coloribus pallida , ac infirma, imbecillis
serpat oratio mea , libenter patiar judicium , esse vitiosam.
tantummodo Divi vos Tutelares Medici , etiam decentem
laudum vestrarum summam ab infirmitate mea suscipiatis.

Suscipite ergo Athlete strenui infirmum conatum me-
um , qui firmissimi contra Mundum , carnem , & Demo-
nem pro Christo & fide vera decertastis , cursum consum-
masti , victores exististis , summaque cura minime Vos
curantes , & honori vestro pendentes potius Curiae cœlesti
Vos adjudicatos experti estis , & etiamnum experimini.
Imbecillem itaque me firmate , infirmis viribus panegyrim
de Vobis dicentem , roburque vestrum Martyres gloriofissi-
mi mibi bodie concedite , qui nunc in vita , & tunc in agone
meo Tutelares meis sitis , & Protectores. Ita Vos dictione
colit , quam de vobis reverenter dicit , Vobis & honori ve-
stro dat , & dedicat.

Submississimus cliens

Daniel Ferdinandus Josephus
Staudigel.



N felicem Te hodie Facultatem Me-
dicam! quæ me, ut anniversarium Divis
Tuis Tutelaribus, Cosmæ & Damiano pen-
das honoris tributum, heroicæ planè virtutis
delegeris Panegyristen. Quid enim
Tibi aut exspectatione tristius, aut auditu accidere possit
molestius; quam si is Tibi ausu impio eripere Medicos,
qui asserere; auferre meditetur Tutelares, qui conspiran-
tibus in unum oratorem totius Facultatis inclytæ votis,
clientelarem exhibere debuerat subjectionem? An non
obliquis me oculis intuebere Excellentissimum Collegi-
um, dum Divos Tuos *Cosmam* & *Damianum* aut Medi-
cos negabo, aut Martyres? Vel enim scientiæ medicina-
lis lauream extorquebo, ut palmam deferam Christianæ
constantiæ; vel manibus excutiam Triumphalem Mar-
tyrij frondem, ut Archiatros exhibeam laureatos. Ex-
candesces, si demam alterutrum, Epomidem Martyri-
bus,

bus, aut Doctoribus purpuram crux. Signaros curandi humani corporis adstruo Medicos : Testimonium sanguine consignatum clamat , ut & Martyres dicam. Si fortitudinis Christianæ Athletas disigno : è faucibus Libitinæ saepius erepta mortalitas supplicat , ut & Medicos laudem. Ego quia utrumque nequeo , alterutrum dicere reformido. Quin igitur Excellentissima Facultas ductu Tuo citra erroris periculum fluctuantem præsis oratorem , & siquidem gloriofo Martyrio (uti mihi quidem conjicere fas est) honoris defers prærogativam , sine tantisper ancipiti involvi periculo charum tibi alias Tute- larium Medicorum præsidium. Dabitis & vos veniam purpurati Christi milites , gloriosi triumphatores , quod alterutram , utut alias inconcussam , hodie Vobis disputans dignitatem , in partem declinem alteram. Martyres enim mihi eritis , non Medici. Nam quid ego illos Medicos ? Illos humani corporis ægritudine pressi curatores , vitæ inter tot emergentia discrimina strenuos defensores , illos ego demum imminentium fatorum nuncupem triumphatores : quos inspectante coelo , obstupefactente tyran- nide , fatale Ægææ Theatrum , usque adeò vitæ suæ (de- cernite interim de aliena) incurios exhibebat , ut ne qui- dem ad aures pertigisse , ad cor certè non penetrâsse , illud se suaque negligentibus oggeri solitum diverbium vide- atur : Medice cura te ipsum. Illa quidem tam pugnan- tium invicem elementorum adhibita intemperies , illa os- sum omnium , nervorumque attentata convulsio , libe- ralis-

ralisque ad supremam usque sanguinis guttam propinatio , Hippocratis & Galeni nequaquam sapiunt disciplinam . Aut hæc cura conservando restituendōe corpori idonea non est , aut si aptam agnoscitis , ecquis sibi posteriori jure infinitam pugilum pro fidei veritate depugnantium attribuat multitudinem , quām Excellentissima Medicorum Facultas ? tot equidem censem tutelares , quot furori suo immolavit nunquam satura Christiani sanguinis gentilitas . Si demum sanguinea hæc cura Medicos probat , Apolline opus non habeo , qui Paradoxam Medicos inter Martyresque , Divos *Cosmam* & *Damianum* conciliare attentet concordiam . Ultro amplector *Curam sui incuriam* & favore in primis tuo Perillustris ac Magnifice Domine Rector , vestrâ deinde gratiâ spectabiles Domini Decani , Eximij , Clarissimi , Excellentissimi , Doctissimique Professores , Senatus , Populéque Academice tenui Panegyri reverebor .

Sonoris profecto cachinnis excipienda est Asclepiadis Prusiensis Medici cura , quâ immortalem nominis gloriam , & Medici singularis nomenclaturam sibi nundinabatur . Nam , cùm saluberrimis antiquorum præceptis imbuisset animum , & discendi ardori respondentे curandi felicitate , integrōs ægrorū exercitus fatis subduxisset , unum quempiam etiam jamjam solvendō naulō in campos Elisos transportandum (ut fama quidem bucinabat) Charonti eripuisse ; hæc omnia sibi parum proficere arbitrabatur ad famæ immortalitatem . Unde

For-

Fortunæ Deæ (hanc enim sibi Numen præfixit) pingues
sæpe mactavit hostias , precabatúrque unicè : liceret sibi
vitæ suæ metam inoffensa attingere valetudine . For-
tuna , inquietabat ille , quem sanitati præfecisti conservan-
dæ , nunquam sine adversa conflictari valetudine . De-
pono Medicum , si quis me notet ægrotum . Tum de-
mum & mori me , & exspirare Famam meam sentiam ,
cùm morbus debilitatem viribus , nomini lituram indu-
cet . Non invidebat ille suam Æsculapio Divinitatem ,
non suam Jovi Menecrati infaniam , honorificum Pæonis
titulum , quo Divus ipse deorum Medicus compellaba-
tur , non ambiebat ; in hoc solùm felicitatis suæ statuebat
centrum , si valido corpore , robustis viribus , quid in alijs
possit , in seipso Medicus præferret . Nam quidquid sit de
naturæ debito tandem solvendo , à quo se eximi patieba-
tur nunquam ; tum demum se Medicorum quoddam nu-
men fore arbitrabatur , si , quam humani corporis fragi-
litati natura negat immortalitatem , artis præstantia propè
dedisse videretur . Superabit annalium fidem mori po-
tuisse , quem ars sua nunquam siverit ægrotare . Sed le-
pidum denique cum Asclepiade fortunæ videte Iusum :
auditis precibus sanum conservat , ut senem faciat , qui
cùm evolutō complurium annorum spatiō sibi de virium
plaudat integritate , omnium maximè lethali fene&tutis
morbo laborare se , stolidissimè ignoret .

Heu me ! si tam curiosa tutandi corporis cura , hono-
ris Medico deferri soliti , secumferat prærogativam , ite-
rum

rum illustri eorum cœtu emovendi eritis Martyres purp-
rati ! Nam quæ illa vestra tractandi corporis cura ? quām
sui est incuria ! gravissimō , & summè contagiosō mor-
bō ad usque insaniam laborâsse vos credidit amens genti-
litas, cùm crucem Christi, illam gentibus existimatam in-
saniam , cernui adoraretis . Et remedium quidem in ve-
stram perniciem meditabatur superstítio , quando ad sa-
niorem mentem reducendos Lysiae transcripsit Procon-
suli . Quid ? illine Christianorum Diaulo, purpurati car-
nificis Diocletiani satelliti crudelissimo , gemini curandi
tradantur in arte medendi Excellentissimi ? quām vere-
or ! nè infelicem hæc cura perversa sortiatur exitum , &
Lysias quidem sui incurios perdat Martyres , nec spem vi-
deat quæsitæ à se violentissimis remedijis sanitatis . Re-
pugnabitis saltēm vos Archiatri solertissimi , & oblatam
medendi inficitiam sani & integri in Lysia damnabitis . Sed
ò Curam sui incuriam ! furiosi illius tortoris curæ sanguineæ ,
sese ultro submittunt , toleraturi fortissimè , quid-
quid cum superstítione conjurata crudelitas exquisitissi-
mi tormenti (medicamenti dicere oportuit) appararet .

Et ecce curæ exitialis horrendum exordium ! Vide-
tisne Auditores illam in immensum profusam aquarum
congeriem ? hæc ipsa , ut opinor præripia in cœlum usque
se attollentia , illisque undarum montes , plus hic aliquid ,
quām in delicias aut ægrorum commoda instructa balnea
eloquuntur ; mare est ventorum furijs agitatum . Quid
hic incusem magis ? solertésne Lysiae furias , Pelagi infini-
tam

tam voraginem , ni sapiant , Divis *Cosme & Damiano* minitantes in balneum ? an incuriam Martyrum promptitudinem , jam non solum sustinentium , sed exoptantium etiam in exitiales has thermas Saxorum prægravantium pondere devolvi ? Periissent hic utique insanienti Medico Lysiae in curam traditi Martyres partim medentis crudelitate , suâ partim sic curari ambiente incuria , nisi naufragam corporis cymbulam jam jam in mortalitatis scopulum illidendam , manus Angelicæ exceperint.

Ergo nondum frigidô undarum balneô expugnari visâ , quam Lysias curabat , insanâ , contrarijs utendum ratus remedijs , longè calidissimum instruit sudoriferum . Vesuvij , Ætnæq; incendia , Babiloniæ fornaces , atria averni hic vobis in mentem venient Auditores . O ! ut etiam ardentissimè febricitanti ad hujus sudoriferi conspectum gelidus toto corpore se sudor effundat ! O ! ut igneo etiam in corpore hospitans generosus spiritus , è longinquo has flamas oculis delibans , frigidissimo concutiatur tremore ! tam validè ardet vivacissima flamma , ut aspectu primo datura sit gelidi sudoris guttas , attactu primo siccissimos cineres . Hic enim vero ad Lysiae , an vestrum potius arbitrium , ad medullarum usque eliquationem sudandum vobis est validissimi Patientes ! O Curam iterum sui incuriam ! medentis ferociæ sese conformantes ætnæ subeunt incendia , post exsudatam animam , reddituri aridissimi cineres , nisi iterum generosam sui incuriam remuneraturum , an castigaturum cœlum , pro fudo-

fudore, quem ignis extorquebat fævitia, stillicidio roscidio irrigasset penitus illæsus. Desine tandem infelicissime tortor, existimatæ mederi insanæ, quando omnia tua medicamenta, utut atrocia, Martyribus ad aliam longè, quam optes, proficere vides sanitatem. Imò verò nunc primùm crudelissimæ artis experimentum capiendum reponit immanissimus tyrannus. Etiamnum sibi in furiosa superstitione supereresse Medæam, quæ nocentissimas herbarum vires, & virulentos monstrorum infernalium succos misceat in medelam insanæ Christianæ. Officinam sibi esse instructissimam, aptamque ad expugnandam radicatam penitus mali pertinaciam. Libet subintrare Auditores Academici, & oculos tantisper fatigare in ameno spectaculo. Proh! quæ hic rerum facies! quis loci horror! digna oculis Neronianis Scena! & quam si contempletur Caligula, jam non optet unum omnibus mortalibus commune jugulum, qui perdendis singulis sufficiencia hic reperisse gaudeat instrumenta. Ut illic unionum loco in saluberrimum succum eliquari solitorum, ingens surgit Saxorum strues! Hæc nimirū aut existimatam insaniam Patientibus Medicis expellet, aut sanguinem. Ut hic geminæ in crucis modum conformatae excrescunt arbores! Amaro ligni fructus gustabunt Martyres, nisi citò cum superstitione sapiant. Ut hic iterum concinnæ humani corporis structuræ inimicus minatur equuleus! Cavete hic demum incurij Medici, si quidem

mentem Vobis prius non reducat amentissimus Medicus,
harmonica corporis vestri, quanta quanta est, periclitatur
œconomia. Quid adeò plura contempleremur, quibus
abunde erudelitatis in adinveniendis multiplicis laniæ
generibns, patet ingenium.

Curam potius sui incuriam admireremur Auditores,
quæ Divis nostris truculentissimam experiri suadet car-
nificinam, pene jam nescio, an perdendi, an servandi
corporis causâ. Et hîc nisi iterum sui incurios protexis-
set cœlum, non ut quondam Medicorum turba Cæsarem,
sed geminos Medicos turba perdidisset tortorum. Im-
poterum autem longaniment tuam patientiam damniabo,
ô Cœlum! si qua ope succurras lese crudelissimæ curæ
permittentibus Divis. Pereant, quibus sic volupe est
curari, ut pereant; perdat inquam Martyres Lysias, ut
perdendo curet.

Sed en ultimam, eamque Medicis perfamiliarem cu-
ram, sanguinis nempe emissionem. Tandem & ego in te
Proconsul truculente, quem haec tenus detestabar Tyrannum
crudelissimum, Medicum reverabor, quando in
Epomidis tuæ purpuram sanguis ebullit laureatus. Ne-
que mihi succense faculas Excellentissima, quod scien-
tiæ saluberrimæ Tyrannicam copulæ crudelitatem. Ex eo-
rum quippe tantum secta agnoso sanguisugam Medicum,
qui ut magno Constantino deterrimam abstergerent le-
pram, magistra potius feritate, quam medendi peritia,

ab überibus matrum avulorum parvolorum , dicámne
potius de sanguineo lacte , an lacteo sanguine , præscrip-
runt balneum , velut non æquè alio , ac hoc animæ huma-
næ vehiculō , ad optatam pertingatur sanitatem . Cæcæ
nimirum gentilitatis hic furor , non tantùm cælestibus
quos somniant , Dijs , sed & terrestribus humanum litare
cruorem . Inhorruit ad hoc plūs quàm barbaræ feritatis
consilium Christi in terris Vicarius Sylvester , & feliciùs
Christianos docuit lustralibus renasci undis , quàm inno-
centi parvolorum cruce.

O si & Lysias , qui jamjam gladium acuit in sanguinis
emissionem , quam in alijs sibi curare videtur existimatam
amentiam , veram in se non alieno sanguine , sed unda di-
luat salutari , Medicosque eligat , quos cruciat patientes .
Sed incassum votis tyrannum dimovere satago à medendi
crudelitate , nec proinde à cura sui incuria discedent Mar-
tyres inconcussi . Vibratur ergo in geminas cervices
validissimus gladij ictus , & quid demum vi-
deo Auditores ? nunc tandem irritatā sæpius , & in furo-
rem versâ coeli tam diu Martyres defensantis patientiâ ,
curæ sui incuriæ permissi , fructum carpunt Gloriosi Athle-
tæ Divi *Cosmas & Damianus* , dum revulsis à cervice ca-
pitibus suo innatant sanguini , & licet fortissimos fidei se
probent defensores , vitâ tamen sic curando deperditâ si-
bi se pernegant fuisse Archiatros . Nisi forte sublime ali-
quod sanctioris Medicinæ in tam sanguinea sanandi me-
thodo

thodo lateat arcanum , cujus conscijs cælestes Medici , stu-
diosâ hâc incuriâ suo se sanguine in vitam reparârunt me-
liorem . Quod ut mihi magnopere persvadeam ; Ma-
gnus ille facit Medicus , qui , ut universum hoc paradisia-
ca distemperatum ingluvie , & in deterimum deforma-
tum cadaver , ad gratiæ vitam redanimaret , de pretioso
sanguine suo præsentissimum simul paravit pharmacum ,
simul certissimum vivificandi sui descripsit documentum ,
ut vel sanguinis in fidei salvificæ contestationem funden-
di pretiô , unusquisque Christi sequacium seipsum tor-
mentis acerbissimis discerptum , ubi id necessitas exigit
in vitam animet immortalem .

Quod si itâ est Auditores Academici , vos quidem
inter cruenta supplicia adhuc superstites , in sanguinis pur-
pura Medicos adorate laureatos ; ego vero sub ipsum
jam orationis exspirantis epilogû , in vita pariter & morte ,
imperfectos non nisi Medicinæ agnosco discipulos , post
fata consummatissimos Medicos . Tales enim non nisi
cœlum inaugurat , ubi tandem in perfectissimam vitæ ju-
giter conservandæ se penetrârunt scientiam , & quod per
crudelissima tormentorum genera in terris reperiire non
poterant , inspectâ penitus , possessâque DEI , & in hac re-
rum omnium essentiâ ac virtute , legerunt tandem
exoptatum Recipe beatæ immortalitatis .

D I X I . lxx